

forte acetoso <sup>1</sup> refocillarentur\*. Pater uero familias, hoc est deus omnipotens, cuius agrum, uidelicet religionem monasticam, studio spiritali laboriose incolebant, uescendi hora non sine condimento salutaris antidoti deserere uoluit nec Helysei ministerio, qui olim ollam, cibum amarissimum continentem, filiis prophetarum fecit esibilem\*\*, sed uirginis excellentissime Marie nobilissimo famulatu, sicut sequens narratio declarat. Seditibus autem fratribus ad mensam, cibum non ad carnis delectacionem, sed ob sue fragilitatis necessitatem sumentibus, sepedictus frater Hugo, cui semper amara dulcia fuerunt, ob recordacionem uulnerum Christi saluatoris, cum in mensa sederet, alijs compatiens, plus ipse deuocione lectionis in animo spiritaliter nutriebatur, quam cibo materiali in corpore, uisibiliter reficeretur. Et ecce, in ipsa refectiōne uidit in spiritu reginam celi, roseo uultu renitentem, cum duabus pedisequis, valde decoris medium introire refectorium ueniensque ante priorem una pedisequarum, tollens coopertorium eiphi, altera uero tenens pixidem, pigmenta dulciora super mel et favum continentem, deinde piissima uirgo, tenens decentissime cocliar in manu sanctissima, tulit de pixide super omnia aromata redolens antidotum, et sic cibum simul et potum prioris condidit. Demum transiens chorum prioris similiter et alterum percurrens singulis beniuole ministravit, excepto uno solo, quem per transiuit, nichil ei de tanta dulcedine impersiendo. Accidit etiam, ut ipso die post completorium accedentibus fratribus consueto more aque benedictae aspersionem propter timores nocturnos, idem frater Hugo uiderit aduocatam miserorum, quam in refectorio antea conspexerat prioris uicem gerendo fratres sibi personaliter succedentes decenter aspergere, solo illo excepto, cui pitanciam prius in refectorio negauerat, quia, licet cum alijs cantando inuocauerit in illa sollempni antiphona: salue regina, dicens o, clemens, o, pia, o, dulcis Maria, pias uirginis aures uox eius nequaquam attigerat <sup>2</sup>, quia non est speciosa laus in ore peccatoris.

21. Mox sequenti die frater Hugo, cui hoc uidere donatum est, querens oportunitatem, qualiter fratrem illum, cui tanta gratia negata fuerat, secreto conueniret, accidit tandem, ut seorsum ab alijs consedissent et confabularentur, tunc frater Hugo confidenter exorsus est dicere: amicabiliter uobis loqui sepins proposui et hoc non sine causa, scire cupiens, si aliquod impedimentum uestre salutis sciatis et si me non celaueritis,

<sup>1</sup> acetoso, 5f. <sup>2</sup> attingerat, 5f.

\* Ueber die rauhe Nahrung der Cistercienser f. Band 3, 30.  
\*\* 4. Reg. 4, 41.

spero, quod citius salutem experiemini. Ad hec ille factus impatiens ad excusandas excusaciones in peccatis, noluit abscondita cordis reuelare, sed repulit eum a se, dicens, nil sibi fore consciū, nisi bonum et honestum. Frater uero Hugo, eius importunitatem patienter ferens, mox cepit deliberare, qualiter fratri saucio et peccati uirus non sciens, intellectum sanum reformaret, ut sic medicum requireret et latens uirus anime aperiret. Tandem spiritu sancto reuelante, nullum remedium efficacius apponendum estimabat, quam timoris emplastrum, quia sola vexatio dat intellectum auditui, propheta Ysaia testante, unde zelo fraterne salutis inductus, quid uiderit in refectorio et post completorium humiliter et honestissime aperire cepit. Mox frater ille, corde conpunctus, predicto seni sub spe remissionis per humilem confessionem peccati uulnus ostendit et ad eius consilium pristinam sanitatem uere contritus obtinuit. Ut ergo dominus senem illum consolaretur, de illius fratris reconciliacione iam sollicitum et anxium, accidit, ut alia sexta feria beata uirgo eodem scemate uisionis, quo ante apparuerat, predicto sene aspiciente, conuentui fratrum se presentare dignaretur. Ueniens itaque ad priorem, ipsi et ceteris, sicut prius fecerat, cibaria et potum dulcissime condidit, fratri uero, cui prius propter sua delicta tantam gratiam negauerat, sed iam correcto et reconciliato pitanciam illam non solum in refectorio, uerum etiam aspersionem aque post completorium hylari uultu duplicabat, manifeste declarans, ipsum reconciliacionis gratiam consecutum. Ecce, qualiter beata uirgo, per Ruth designata, in hora uescendi messoribus Booz se coniunxit et buccellam intingens in aceto, ipsis potum dulcorauit et cibum esibilem fecit, prestante domino, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum, amen.

22. Finem igitur huius sancti hominis scripturus, ipsum inuoco, qui est alfa et o, principium et finis, ut ueritatem meram de ueritalis amatore stilo commemorem, quia non nullos, immo quam plures testes super esse recognosco, qui eius funeri interesse meruerunt, a quibus, si secus scriberem, quod absit, de falsitate possem turpiter criminari. Cum esset igitur tante perfectionis, quod mortem haberet in desiderio, quippe cui Christus uiuere erat et mori lucrum, desiderium anime eius, tribuit ei dominus, ut diuina preuentus gratia magis ac magis ad superna animo suspicaret. Mortem itaque quam maxime mortales abhorrent, ipsi diuinitus prescire donatum est, et huiusmodi reuelacione accepta, tristitiam, que mortis est praeambula, ipsum minime sensisse dicitur, sed cordis gaudium de spe